DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SCROPHULA.

4

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE SCROPHULA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

RICARDUS PEARSON,

ANGLUS,

Societatis Regiae Medicae Edinenſis

Praeſes Annuus;

Nec non,

Societ. Nat. Stud. Praeſes.

——— Pugnatum eſt arte medendi;

Exitium ſuperabat opem; quae victa jacebat.

Ovid. Metamorph. LIB. VII.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

THOMÆ SMITH, M. D.

Viro

Ob doctrinam fere omnigenam,

Litterarum praeſertim humaniorum ſcientiam,

Maxime vero ob ſummam in arte ſua peritiam,

Nullis aequis hominum aeſtimatoribus non honorando,

Opuſculum hocce,

Non quia dignum quod offerat cenſeat,

Sed quod nulla alia

Publice teſtandi

Quam arctiſſime beneficiis, numeri neſciis, ab eo acceptis,

Illi devinctus ſit,

Quantaque eum reverentia colat,

Occaſio detur,

D. D. Cq.

AUCTOR.

ERRATA.

Pag. 9. lin. 1. *pro* curte *lege* cute.
10. 7. *pro* primae *lege* prima.
13. 1. *pro* ſit *lege* fit.
18. 15. *pro* quaedam *lege* quadam
20. 12. *pro* eum *lege* eam.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SCROPHULA.

QUANDOQUIDEM a juvene, utpote cui ſatis propriae experientiae deeſt, a quo tamen, ſi ad ſummos artis honores evehi cupiat, hujus almae Academiae leges, ut de re aliqua vel ad medicinam vel ad phyſicam pertinente diſſertationem conſcribat, exigunt, nihil fere aliud ſperari poteſt, niſi quod aliorum obſervationes ſub uno quaſi conſpectu colligat, collectas in juſtum ordinem diſponat, diſpoſitaſque inter ſe accurate comparet: Mihi itaque (nam alio-

A rum

rum eſt nova proponere, meum tantum nota referre) de *Scrophula*—Quo quidem morbo vix ullus in hac Magnae Britanniae inſula latius patet vel ſaepius occurrit, nec certe ejus incolas ſolet infeſtare ullus, qui idem ob curationem difficillimam potiore jure cujuſque medicinam facturi attentionem ſibi vendicet—quaedam prolaturo, optima ab auctoribus circa ejuſdem hiſtoriam, indolem, et denique curationem tradita, ea pleraque in ſequentibus pagellis cum fide enarrare, curae et operae erit.

Scrophulam morbum eſſe temporibus recentioribus proprium, quique antiquitus penitus ignotus fuit (quod tamen mihi parum probabile videtur) nonnulli contenderunt. Quoniam vero ad haſce lites componendas, ut veterum medicorum ſcripta perlegantur opus eſt; atque, quoniam inſuper parum vel nihil omnino fructus inde percipi poteſt, quicunque demum eſſet finis quo perducerentur, nolo hic in eaſdem inire, ad res majoris momenti, et imprimis ad

DEFI-

DEFINITIONEM,

Quam cel. Cullenus * hiſce verbis complectitur, tranſiturus, " Glandularum (nempe) conglobatarum, praeſertim in collo, tumores; labium ſuperius et columna naſi tumida; facies florida, cutis levis; tumidum abdomen." Quod ad

MORBI HISTORIAM,

Notandum eſt, Scrophulam labem eſſe fere ſemper congenitam. Attamen haud deſunt exempla, unde liquet, hoc malo laboraſſe liberos, quorum proprii parentes eo non fuerant affecti. Obſervandum tamen (uti

* Vide ejus Synopſ. Noſolog. Method. tom. II. gen. 84.

(uti ſubmonuit cel. Cullenus *) hoc ideo accidiſſe, quod ab avis morbus profectus ſit, licet parentes intermedii nullum ejus indicium exhibuiſſent. Quocirca nequimus cum iis † conſentire, qui hunc morbum contagioſum eſſe volunt. Nec obſtat quod dicant nonnulli ‡, nutrices, nempe, ſcrophulam cum lactentibus communicaſſe; quippe obſervatio ſupra dicta juſtam hujus rei rationem reddit. Ne plura dicam, ſi morbus hicce unquam contagioſus evadat, ſit tantum (uti Riolanus § jamdudum obſervavit) per pus illud quod ex ulceribus tetrioribus fertur.

Ex

* Vide ejus Primarum Linearum tomum quartum et ultimum; unde optima quaeque in hac diſſertatione circa ſcrophulam tradita nos deſumpſiſſe lubentes fatemur.

† Vide Lieutaud Syopſ. Univerſ. Praxeo Med. ubi de hac re loquens his verbis utitur, viz. '*Ultra omnem dubii* '*aleam* poſitum eſſe videtur, ſcrophulas—ſimplici contagio 'contrahi.'

‡ Vide Wiſeman's Chirurgical Treatiſes, book IV. chap. 2. et etiam M'Bride's Methodical Introduction to the Practice of Phyſic, part 2. book IX. chap. 7.

§ Vide ejus opera omnia, Pariſiis ann. 1610, fol. edita.

Ex paterno ſaepius quam materno vitio ſcrophulam in infantibus proficiſci cel. Cullenus opinatur.

Traditur quoque, quod in ſtirpe ex pluribus conſtante liberis, quando pars tantum hoc morbo tentantur, qui imaginem parentis ſtrumoſi optime reddunt, ii quidem iſtiuſmodi labe inquinantur, dum caeteri omnes, alterum qui parentem referunt, ab eadem penitus immunes evadant.

A ſecundo vel tertio ad ſeptimum uſque annum ſcrophula primo accedere ſolet. Raro ante primum annum, et in paucis tantum ante ſecundum poſt partum elapſum, ſe oſtendit. Neutiquam tamen ſolis aetatis temporibus jam dictis primo apparet; ſaepe enim diutius latet, nec ante in conſpectum venit, quam ſeptimus praeterierit annus; et revera nullo non tempore ante pubertatem incidere poteſt: Poſthac vero rariſſime primo invadit.

Dicitur hic morbus illos imprimis infantes exercere, quibus corpus molle flaccidumque, capilli a colore nigriore recedentes,

tes, oculi caerulei, cutis levis, genaeque roſam aemulantes, adſunt. In his, labium ſuperius tumidum, rimaque in media parte fiſſum, plerumque conſpicitur. Hicce labii tumor eo uſque aliquando increſcit, ut ad columnam naſi imaſque nares ipſas perveniat.

Eſt ubi ſcrophula cum rachitide ſociatur, vel hanc ante ortam ſequitur.

Variolam ad ſcrophulam movendam conferre nonnulli putarunt; eamque variolam *inſitivam* potius quam (ut medici loqui amant) *via naturali illatam*, excipere, affirmat de Haen. Hunc quidem morbum poſt praegreſſam variolam ſaepe ortum fuiſſe, celeberrimus ipſe Cullenus fatetur; quamquam id ſolum iis, qui ſcrophulae prius opportuni erant, eveniſſe judicet. Quod tamen circa hanc rem poſuit De Haen, id verum eſſe, longa experientia doctus, omnino negat cel. ille Profeſſor; qui praeterea ſcrophulam interdum non tantum non ingraveſcentem, ſed etiam brevi

poſt

poſt multum remittentem, ſuperveniente variola, refert ſibi videre contigiſſe.

Morbus hicce plerumque ſolſtitium brumale inter et aeſtivale primus accedere conſuevit; ſaepius autem ante hanc proxime dictam tempeſtatem. Obſervatur quoque, quod ejus decurſus anni tempeſtatum ordinem ſervat; ita ut, ſi tumores atque ulcera, huic morbo comites, vere primo ſe oſtendant; haec ſaepe inſequente aeſtate ſaneſcant, nec ante renaſcantur quam proximum advenerit ver; quo tempore iterum eundem curſum abſolvunt.

Etſi labium tumidum fiſſumque, ut primum morbi indicium, non adeſt; tumores tamen parvi, mobiles, figura ſpheroidea vel ovata, in collo naſcentes, morbum ipſum jam motum eſſe declarant. Hi tumores etiamſi molles ſint, aliqua tamen vi renitendi gaudent; haud dolent; et cuti concolores eminent: Quo quidem in ſtatu, nullam (quantum oculis patet) mutationem ſubeuntes, aegrum longo ſpatio detinent;

imo

imo per unum alterumve annum, vel diutius etiam in quibuſdam caſibus.

In alterutro vel utroque colli latere hujuſmodi tumores primo naſcuntur. In hoc illove caſu glandulae conglobatae vel lymphaticae afficiuntur; non ſalivariae (prout cel. ait Cullenus) dum malum ſatis altas egerit radices. Attamen longe abeſt ut haec ſint loca quae unica vel prima hic morbus invadit: Contra enim in articulis cubiti et tali, digitorumque tum manuum tum pedum, multoties ſuam ſedem habet. Ubi hoc fit, tumores parvi, mobiles, circa articulos ſaepe non inveniuntur; ſed articuli ipſi aequabili tumore circumcirca diſtenduntur, et ad motum inepti fere ſemper redduntur.

Sic ſe habent tumores per tempus ſatis longum, ſaepe iidem ac primi verno tempore ſe oſtenderant, uſque dum iterum acris hyems ſolvatur, vel forſan in ſecundum ab ortu annum, permanentes. Illa autem tempeſtate, vel interdum maturius, in molem majorem increſcunt, minuſque mobiles

les fiunt, quaque conteguntur curte, ea rubeſcit, raro tamen colore rutilo fit. Ita tamen paulatim molleſcunt, ut quod intus tenent, id preſſu circumfluat. Parum interim doloris ſentitur, donec tandem per jam quodammodo palleſcentem cutim, humor incluſus, uno alterove foramine facto, viam ſibi foras patefacit.

Quod ex tumoribus ruptis exit, id primum puris ſimile, ſed plerumque illo tenuius quod abſceſſus phlegmonici praebent. Quotidie vero a ſpecie puris magis abludit, atque magis magiſque ſeri viſcidi formam induit, fruſtula quaedam, coagulo lactis haud abſimilia, ſibi commiſta habens. Dum hoc effunditur, glandulae affectae paulatim deſidunt, magis dehiſcunt, latiuſque, inaequalem in modum, ulcera ſe diffundunt. Eorum ora fere ſemper plana et laevia, tum intus tum extra, raro autem callo indurata, exiſtunt ; ulceraque ipſa, quanquam nec latius ſerpant, nec altius penetrent, tamen illorum ora, alterum cum

altero, haud coeunt, nec ullo modo ſanari volunt.

Ad hunc ſupra ſcriptum modum ulcera procedunt, aliis tumoribus, in ejuſmodi demum ulcera deſinentibus, in aliis corporis partibus, aſſurgentibus. Sanatis, quae primae inciderant ulceribus, tumores atque ulcera alia, juxta priora vel alibi, oriuntur. Et ſic quidem morbus incurſat, obducta inter aeſtatem quibuſdam ex ulceribus cicatrice, (magna ſaltem ex parte), quae tamen proxime inſequente vere iterum rumpitur; atque ſic deinceps per plures annos. Sed plerumque intra quartum vel quintum annum vis morbi fatiſcit, morbuſque ipſe ſponte deſinit*; ulceribus penitus

* Scrophula ita ſponte diſcedens rationem reddit cur adeo decipitur vulgus, qui fidem quibuſdam ſuperſtitioſis tractationibus habent: Quales ſunt, *tactus regius*; *tumorum per manum cadaveris frictio*; *radix verbenae* (vide Morley on Scrophulous Diſorders) *ſcrobiculo cordis adhibita*; *filum cruentum* (vide Juncker Conſp. Chirurg.) *per murem vivum trajectum colloque aegri circumdatum*; aliaeque hujuſmodi quiſquiliae et maniae. Forſan tamen, ubi ſub quibuſdam

penitus evaneſcentibus, ſuperſtitibus tantum aliquot cicatricibus, nulla arte delendis, pallidis et laevibus, vel in quibuſdam locis fortaſſe corrugatis. Si malum hocce artus occupaverit, horum motus vel multum minuitur vel prorſus aboletur.

En fauſtiſſimus et maxime hujus morbi vulgaris decurſus. Saepe autem gravior, interdum vel lethalis, evadit: Quo in caſu, plures corporis partes ſimul laborant; ulcera, peſſimi moris, humorem acriorem fundunt; penitius deſcendunt; magis quaquaverſum ſerpunt, difficiliuſque ad cicatricem perveniunt. Oculi quoque ulceribus, palpebras erodentibus, afficiuntur; eorumque ſuperficies uſque adeo inflammatione aliquando tentatur, ut ex parte vel ex toto, tunica cornea opaca fiat. Ex hujuſmodi *ophthal-*

buſdam ex hiſce tractionibus ſcrophula ſoluta fuit, aliquid (ſicut mihi, ſolita ſibi benignitate, ſuggeſſit cel. Cullenus) terrori et horrori, quibus infantes praeſertim percutiuntur, eſt tribuendum. Hi enim animi affectus in epilepſia et quibuſdam aliis morbis tollendis haud parum valere videntur. Vide quae de Epilepſia ſcripſit cel. Cullenus.

ophthalmia, *fiſtula lachrymalis* nonnunquam oritur.

Praeter jam dictas, alias quoque corporis partes ſcrophula occupat; nempe (teſte Wiſeman) tonſillas, quae interdum, ob molem majorem, quominus facile deglutiat aeger, impediunt. Quin et glandulas ſalivarias, ſub lingua poſitas, interdum id malum infeſtat; quo in caſu, morbus apud quoſdam *Batrachos* audit.

Tumorem quoque illum glandularum thyroidûm, cui nomen *Bronchoceles* noſologi indiderunt, pro malo ſtrumoſo nonnulli * habuerunt. Cum tamen ſaepe adſit citra peculiarem illum vaſorum lympham vehentium affectum, quo ſcrophula poni videtur, ſententiae periti iſtius chirurgi Wilmer †, qui Bronchocelen hujus morbi ſpeciem eſſe negat, aſſentiendum duco.

Ubi articuli praecipue afficiuntur, ii multum intumeſcunt et demum in ſuppurationem

* Wiſeman, Freind, Heiſter, aliique.

† Vide Wilmer's Caſes and Remarks in Surgery, Append. p. 234. et ſeq.

rationem abeunt; quo ſit ut ſaepe ligamenta eorum rodantur, oſſaque vicina carie vitientur.

Hicce articulorum affectus (maxime ſi genua cubiti, talive laborant) apud quoſdam ex noſtris chirurgis *white ſwelling* appellatur. Nollem vero hanc ſcrophulae formam vocabulo illo deſignari, ne cum alio artuum grandiorum affectu, cui idem prorſus nomen, licet non ejuſdem naturae, aſſignatum eſt, confunderetur.

Sed non tantum oſſa artubus jam dictis vicina carioſa fiunt; alia enim in aliis corporis locis pari ratione iſtius modi putredine corrumpuntur; qualia ſunt maxillae, cranium, et ſimilia *: Qui quidem affectus vulgo *ſpina ventoſa* vocatur. Si tamen articulos minutiores, quales ſunt illi digitorum tum manuum tum pedum (id quod in infantibus praeſertim eſt videre) caries occupet, tunc morbus *Paedarthrocaces* nomen ſibi nanciſcitur. Hoc autem malum minime

* Vide Wiſeman.

minime pro ſcrophulae ſpecie habendum Whartonus * cenſet.

Procedente tempore, totum adeo contaminatur corpus, ut *tabes meſenterica*, *pthiſis pulmonalis*, et *febris hectica* ſaepe accedant, miſerumque e medio tollant: Quorum ſane prior tam frequenter ſcrophulae comes haeret, quod nonnulli exiſtimaverint (et imprimis Wiſeman) glandulas meſenterii ſemper prius affici, quam tumores in collo naſcuntur.

Sectis hominum ſtruma interemptorum cadaveribus, viſcera eorum fere ſemper admodum vitiata in conſpectum veniunt: Glaudulae imprimis meſenterii multum molem auctae, interdum ulceribus conſumptae, reperiuntur †. Neutiquam vero hoc ubique fit, uti Riolanus ‡ nimis incaute olim affirmaverat; nam cel. Morgagni § ſe

* Vide ejus Adenographiae Caput 40mum.

† Vide Wharton Adenograph. loc. ſupra citat. Wiſeman b. IV. ch. 3. et Ruſſel de Tabe Glandulari, pag. 23.

‡ Anthropograph. lib. II. cap. 13.

§ De Sedibus et Cauſis Morbor. epiſt. 50. lib. IV. art. 29.

ſe caſum, ubi ne minimum quidem obſtructionis in meſenterio deprehenderetur, vidiſſe teſtatur.

Praeter meſenterium, pulmones quoque admodum morboſi, plurimiſque tuberculis * referti reperiuntur. Nec minus cerebrum ipſum

* Ex hujuſmodi tuberculis *phthiſis pulmonalis* adeo frequenter proficiſcitur (vide Morton Phthiſiologiam et cel. Culleni Primas Lineas) ut Meadius noſter, de ſcrophula differens, ita ſcribat, viz. " Et profecto, ſi verum dicere liceat, in noſtris ſaltem aliiſque borealibus regionibus a ſtrumis ut plurimum oritur illa (nempe phthiſis) pernicies;" Monit. et Praecept. Med. tom. II. cap. xv. Fortaſſe non abs re erit hic loci adnotare, deſcriptionem quam nuper tradidit (vide Medical Communications, vol. I. p. 361.) horunce tuberculorum infelix Stark, quoſdam, ut de eorum natura glandulari dubitent, movere poſſe. Et profecto, ſi tantum ad ſpeciem quam prae ſe ferunt haecce tubercula, et ad mutationes quas ſubeunt, non ad rationem qua talis eorum ſpecies adquiratur, quaque tales mutationes perficiantur, reſpiciat quivis, ea vaſis omnino carere facile crederet.

Quin tamen in hanc ſententiam eamus, quaedam in animo paulo penſiculatius conſiderata nos prohibent. Minime enim improbabile videtur, minores quaſdam glandulas conglobatas, in aliis corporis partibus, (viz. in meſenterio), quando illae obſtructione et inflammatione afficiuntur,

ipſum interdum afficitur; apud enim Wiſeman extat hiſtoria cujuſdam honeſtae puellae, quae, aliquot annis poſt tonſillas ſtrumoſas illi abſciſſas, vehemente capitis dolore correpta, ſubito mortua eſt. Diſſecto capite, eroſum in conſpectum veniebat cerebrum, multaque putredine conſumptum. Quinetiam in hoc caſu interior cranii lamella carioſa fiebat.

Cum ſatis per ſe

DIAGNOSIS

Pateat, non neceſſe eſt ut de ea aliquid dicam. Quapropter ad

CAUSAS

untur, ſimilem induere ſpeciem, mutationeſque ſimiles pati. Porro, vix intelligere poſſumus quomodo iſtiuſmodi pulmonum tubercula in ſuppurationem abirent, niſi prius in iis inflammatio oriretur: Quod ſi talis inflammatio fit, ea ſenſu vaſiſque gaudeant neceſſe eſt.

Utcunque vero de eorum ſtructura ambigi poſſit, hoc ſaltem ſatis conſtat, hujuſmodi, nempe, tubercula in pulmonibus ſtruma occiſorum fere ſemper reperiri: Unde patet ambos hos affectus valde affines eſſe, et fortaſſe ejuſdem prorſus naturae.

CAUSAS REMOTAS

Tranſibo: Inter quas recenſenda ſunt, 1*mo*, Nimia corporis quies. 2*do*, Coelum humidum. 3*tio*, Diaeta parum vel male nutriens. 4*to*, Injuriae ab externo. 5*to*, Variola. 6*to*, Et poſtremo, ſui generis contagio.

1. Cum quam ſit neceſſarius motus muſculorum, ut rite ad cor, vitae fontem, meent remeentque, per ſua quaeque vaſa, fluida noſtri corporis, nobiſcum reputemus; quantum ad vaſa lymphatica oppilanda, atque ſic ad tumores glandularum ſtrumoſos, ubi prius proclivitas ſubeſt, gignendos, nimia ejuſdem corporis quies conferat, non perſpicere non poſſumus *.

2. Neminem latet, aëra humidum, diutius corpori admotum, partes ejus ſolidas laxas reddere: Nil mirum itaque, eo agen-

C te,

* Vide Wiſeman.

te, ſi vaſa lymphatica languore torperent, glandulaeque eorum inde obſtruerentur *.

3. Siquando cruda et farinulenta materia ex plantis confecta, vel cibus aceſcens multoque conditus ſale huic morbo movendo fuerint †; id propterea praeſtitiſſe videntur, quod non ſatis aut non apte corpus alerent: Unde glandulae, una cum reliquo corpore, vitio tentarentur; fluidiſque ad eas delatis, ob fractam earum vim agendi, haud rite per eas percitis, quin ipſae farcirentur vix fieri poterat.

4. Inter injurias ab externo illatas compreſſio primum locum obtinet. Meminit Wiſeman cujuſdam hominis, qui, quaedam inter aeſtatem nocte, dum ſomnum capiebat, ita ſuper ſcamnum ſtratus, ut caput ejus elabens extremo ſcamno premeretur, experrectus perplures in collo tumores habebat. Quin et contuſiones ſcrophulis facilem ſuccreſcendi anſam praebent ‡.

5. In

* Vide Wiſeman.

† Vide Boerhaavii Aphoriſm. Van Swieten Comm. et Wiſeman's Chirurgical Treatiſes.

‡ Vide Wharton Adenograph. cap. 11.

5. In hiſtoria exaranda antea dictum eſt, ſcrophulam variolam ſaepe excipere.

6. Tametſi (id quod in hiſtoria jam notatum eſt) morbus hicce a nonnullis contagioſus habetur; deſunt tamen exempla quae hoc verum eſſe certa fide oſtendant. Cullenus, e contra, fideliſſimus ille naturae obſervator, refert ſe plures, integro corpore fruentes, noviſſe infantes, qui, quamvis cum aliis, ſcrophula affectis, ſocietate miſcerentur, tamen ne minimum quidem eadem labe inquinarentur. Tertia apud Sauvageſium ſcrophulae ſpecies (cui nomen *farcimen*) nequaquam ad veram ſcrophulam pertinere videtur.

Ex jam memoratis dubitandum, num quaedam inter cauſas remotas jure recenſeri poſſint: Nam, nullo diſcrimine facto, ſcrophula, et eos qui corporis exercitatione utuntur, et qui non, adoritur; qui in ſicco, perinde ac qui in humido coelo, degunt; denique qui optime, non minus quam qui male, aluntur, hoc morbo tentantur. Cum tamen auctores haec omnia pro cauſis hu-

jus

jus morbi numeraverint, ea non omnino ſilentio praetereunda eſſe putavi.

DE MORBI NATURA.

Quoniam in quibuſdam ſcrophulae caſibus mercurius auxilio fuit; atque quoniam praeterea hoc eodem morbo infantes, quorum parentes ſyphilide fuerant affecti, impliciti ſunt: His itaque de cauſis, ſcrophulam eadem, ac ſyphilis ipſa, natura gaudere nonnulli ſibi perſuaſerunt *.

Hanc vero opinionem ſi paulo attentius conſideremus, eum nullo firmo fundamento niti facile perſpiciemus. Concedamus enim mercurium † in hoc morbo interdum pro-

* Vide Sauvag. Noſolog. Method. et Lieutaud Synopſ. Praxeo. Medicam.

† Cel. autem mihi praeceptor Cullenus mercurium ſcrophula laborantibus utilem eſſe negat; contra ſaepius alienum eſſe affirmat. Haec inſuper notat (quae certe omnia ſcro-

proficere; num ideo ſcrophulam et ſyphilidem natura conſimili eſſe colligere liceat? Nonne plurimos alios affectus, toto coelo inter ſe diſtantes, in quibus tamen mercurius aliquid juvare ſolet, illos omnes una eademque, nempe ſyphilitica, natura eſſe, pari jure colligeremus? Quod quam abſurdum nemo non videt.

Unus * autem ex iis qui pro hac opinione acerrime pugnarunt, cujuſdam meminit rei verae, quae eam funditus evertit; nempe ſcrophulam ſaepe in prole parentum ſcorbuto laborantium ſe oſtendere. Nunc, ſi ſcrophula et ſyphilis ideo iidem morbi habentur, quod illa natos parentibus hac affectis adoritur; cur non, pari ratione, ſcrophula et ſcorbutus iidem morbi haberentur, cum parentes ſcorbutici prolem ſcro-

ſcrophulam a ſyphilide minime oriri oſtendunt) ſcilicet, quod in permultis hujus morbi exemplis non erat cur ſuſpicio adhiberetur, parentes ſyphilide affectos fuiſſe; praeterea, quod haud paucos novit parentes, qui ſyphilidem cum liberis communicabant, quos tamen liberos ſcrophula nunquam invadebat.

* Lieutaud.

ſcrophuloſam itidem progignant? Sed conſtat inter omnes, ſyphilidem et ſcorbutum eſſe morbos inter ſeſe plane diverſos: Ergo, quandoquidem ſcrophula et ab hoc et ab illa profecta eſt, eam nec ab uno nec ab altero ex hiſce morbis pendere liquido apparet.

Cauſam ſcrophulae proximam in fluidis corporis humani multi quaeſiverunt; alii in eorundem ſpiſſitate *, alii autem in acrimonia †, poſitam eſſe autumantes. Credit quidem cel. Monro ‡ hoſce glandularum tumores ex abſorptis per vaſa lymphatica humoribus acribus, in corpore, incerto modo, progenitis, inque glandulas depoſitis, fieri. Cenſet praeterea quod ſcrophula adeſſe poteſt, ſine ullo glandularum affectu.

Omnibus vero opinionibus quae ſcrophulam in quovis fluidorum corporis humani vitio generali poſitam eſſe volunt, objici poteſt:

1mo,

* Wharton, Boerhaave, aliique.

† Wiſeman et vulgus medicorum.

‡ Adi ejus Praelectiones.

1*mo*, Quod hanc acrimoniam revera adeſſe, ſimul ut morbus primo accedit, nemo adhuc probavit. Noſtra quidem fluida in ſcrophula prava fieri, non illi ſumus qui negant; hoc tantum contendimus, nempe, iſtam eorum pravitatem hujus eſſe morbi effectum, potius quam cauſam.

2*do*, Iſtiuſmodi hypotheſes quaedam circa hujus morbi naturam haereditariam non explicant.

3*tio*, Mortales permultis plectuntur morbis, in quibus etſi eorum fluida multo majore acrimonia pollere omnium conceſſu detur, tamen in plurimis eorum nullae omnino ſcrophulae notae comparent.

Profecto longe probabiliorem fovere opinionem ii videntur, qui hunc morbum a vitio ſolidarum noſtri corporis partium, initio et praecipue pendere docent. Illos enim (id quod jam in hiſtoria tradenda notatum eſt) imprimis ſcrophula infeſtat, qui laxo mollique corpore ſunt: Unde generalem ſolidorum laxitatem ad hunc morbum

bum gignendum multum conferre colligi poſſit *. Verum id ipſum ſolum ſcrophulae creandae minime eſſe videtur: Aliud quoddam requiritur: Et profecto omnia ejus indicia (uti cel. monet Cullenus) in quadam peculiari generis lymphatici conſtitutione eam poſitam eſſe declarant. Cujuſmodi ſit conſtitutio illa, nobis fortaſſe latet; nihilominus tamen eam, ſaltem ex parte, ex atonia ejuſdem generis lymphatici conſtare Ruſſell † exiſtmat.

DE MORBI EVENTU.

Si ſcrophula ultra pubertatem non perſtiterit, eam tunc temporis ſponte diſceſſuram ſpes erit ‡. Sin vero poſt illud elapſum

* Vide Fothergill on the Uſe of the Cortex Peruvianus in Scrophulous Diſorders, Med. Obſ. et Inq. vol. I.

† Vide "Letter to Dr Lewis," Diſſertation on the Uſe of Sea Water, tranſlated, p. 140.

‡ Vide Ruſſel's Oeconomy of Nature in Acute and Chronical Diſeaſes of the Glands.

ſum tempus vel permanſerit, vel primum orta fuerit, raro medicinae cedet.

'Juvenes (inquit Wharton *) caelibes 'frequenter ſtrumoſi fiunt, poſtea vero ma-'trimonio conjuncti, nonnunquam ſponte 'curantur.'

Quibus (ait Wiſeman †) tumores ſtrumoſi poſt quadrageſimum a partu annum in collo maſcuntur, ii ad integram ſalutem vix unquam reducuntur: Quibus tuſſis, ii plerique *phthiſi* conſumpti ad orcum demittuntur: Quibus totum corpus debile et obſtructum cernitur, ii quidem *atrophia*, *hydrope*, et ſimilibus conficiuntur: Quibus denique artus atque oſſa hoc malo obſidentur, ii *febre hectica* lente tabeſcunt. Quoties a labe haereditaria hic morbus ſuum ortum duxerit, vel quoties rachitidi aut cuivis longo morbo junctus fuerit, toties difficilior ſanatu erit.

Si tamen glandulae tumefactae mobiles ſint, ſi quoque, ſuppuratione facta, ulcera

* Adenograph. cap. 37.

† Book IV. ch 3.

faciem benignam induant; denique, quod effunditur, id ſi nec admodum tenue, foetidum, aut acre ſit, ſed pus bonum referat; tunc quidem malum, adhibitis debitis remediis, ſaltem pro tempore depelli poſſit.

DE PROPHYLAXI.

Qui huic morbo opportuni ſunt, ii cauſas remotas ſupra memoratas, quoad ejus fieri poſſit, vitare debent. Corpus, ante omnia, bene velari oportet; ita ut nec frigus nec humor aliquid ei injuriae adferant. Ad hunc uſum, induſium laneum praeſtantiſſimum eſt.

Exercitatio quotidiana neglectui eſſe non debet.

Victus ubi nocet, mutandus. Lac, uti cibum ſcrophula laborantibus idoneum, nonnulli laudarunt. Tamen, non tantum ſtrumas graviores

graviores fieri, ſed glandulas quoque meſenterii obſtrui, tabemque, inde ortam, gradu corripi, ex lacte aſſumpto, Turnero* contigit videre.

DE RATIONE CURANDI.

Remedia quae ſcrophuloſis conveniunt, in ea quae totum corpus afficiant, et in ea quae quibuſdam tantum ejus locis adhibeantur, dividi poſſunt.

In priorum uſu, medentibus duo praecipue conſilia fuerunt; ſcilicet,

I. Educere vel corrigere acres humores;

II. Robur vigoremque toti conciliare corpori.

I. Fluida vitiata per A venaeſectionem, B emeſin, C catharſin, D diureſin, E ſalivationem, medici evocare tentarunt.

A. Raro

* Art of Surgery, vol. I. ſect. 2. page 126.

A. Raro equidem in ſcrophula ad venaeſectionem decurritur; eam autem, praeſertim inter initia morbi, ſunt qui praeceperunt *: Cum tamen vix unquam *diatheſis inflammatoria* hunc morbum comitetur, ſanguinis detractio nequaquam neceſſaria videtur. Quinetiam venam incidere non tantum ſaepe nihil adjuvare, ſed etiam multum nocere poſſet.

B. Vomitoria, teſte Ruſſellio †, haud parum in hoc morbo proficiunt. *Radix ſcillae* omnibus aliis medicamentis emeſin moventibus anteponit. Attamen haud apparet, caeteros, artem ſalutiferam exercentes, ex hoc genus remediis tantum auxilii accepiſſe.

C. Inter cathartica quibus ſcrophula laborantibus ſubvenitur, prima ſunt *mercurius dulcis et aquae minerales.* Quoniam tamen mercurius eo ſaepius conſilio in hoc morbo adhibetur, ſcilicet ut ſalivae fluxum faciat, eum

* Ruſſell, Mead, Home.

† De Tabe Glandulari, p. 68. Vide quoque Profeſſoris Home Princip. Medicin. Lib. III. par. 1. ſect. 4.

eum hic loci ſilentio praeteribo, de virtutibus ejus alibi quaedam dicturus.

Quod ad aquas minerales—iis fere omnigenis nempe chalybeis, ſulphureis, atque ſalſis, medici contra ſcrophulam uſi ſunt. Caeteris omnibus aqua marina praeſtare dicitur; ejuſque efficaciam multis laudibus, in ſua, de Tabe Glandulari, diſſertatione, Ruſſellius extulit. Caeterum peculiarem ejus vim ſibi non adhuc eſſe compertam refert cel. Cullenus; qui praeterea, cum omnes haſce aquas eoſdem fere effectus edere viderit, iſtud ab iis commodi acceptum aquae elementariae eſſe unicae tribuendum, nequit quin credat. Quoniam vero quibus hujuſmodi aquae potui dantur, ii ipſos fontes petunt, ut inde eas hauriant, atque ſic loca, coelum, cibos mutant, nonne veriſimile eſt, quae proxime dicta ſunt, ea quidem multo plus, quam aquas ipſas, aegris auxiliari?

D. Ex medicamentis urinam moventibus quae huic morbo ſuccurrunt, praecipua

ſunt

ſunt *ſales alkalini*; *aqua calcis*; *decoctum lignorum*; *aſelli* ſeu *millipedes*.

Notabilem hiſtoriam cujuſdam puellae ſtrumoſae, cui aſelli medelae fŭerunt, memoriae prodidit clar. Morgagni *. Haec quoque inſecta et alii † laudarunt. Exhibere poſſunt aſelli vel recentes per ſe, vel ſicci, in pulverem redacti. Quinetiam ſumi poteſt ſuccus qui ex iis exprimitur, aut tinctura ex iis vinoſa.

E. Haud pauci ſcrophulae curationem per ſalivationem, mercurio motam, moliti ſunt. Hac medendi via olim inſiſtebat Wiſeman.

Verumenimvero, quotquot ſint exempla ubi mercurius, hoc conſilio datus, ſtruma laborantibus opitulatus eſt; tamen ex adverſo tam ſaepe non tantum non prodeſt, ſed etiam adeo inimicus eſt, ut recte, ne hoc modo contra ſcrophulam eo utamur, nos monuiſſe

* De Sedibus et Cauſis Morbor. Epiſt. 50. Lib. IV. art. 2.

† Vide Turner's Art of Surgery, et Mead Monita et Praecepta Medica.

monuiſſe Turner, Ruſſell *, aliique magni nominis auctores †, videantur.

Hactenus de auxiliis quibus utuntur medici ad humores acres educendos: Dicendum eſt proximo loco de iis quae ad eos corrigendos exhibentur.

Ex his, 1*mo*, Quaedam ad *regnum minerale*; 2*do*, Quaedam ad *vegetabile* pertinent.

1*mo*, Prioribus annumeranda ſunt *terrae abſorbentes*; *ſtibium*; *mercurius dulcis*; et *mercurius corroſivus ſublimatus*. Proxime dictas mercurii compoſitiones quidam ‡, pro remediis contra ſcrophulam, multis laudibus nuper extulerunt. Sed audiendus cel. Cullenus, qui negat vel mercurium vel antimonium, quomodocunque aſſumpta, adverſus hunc morbum auxiliari ſe unquam vidiſſe.

2do,

* De Tabe Glandulari.

† Vide Mead Monit et Praecept. Med. cum notationibus Clifton Wintringham. Vide quoque hiſtoriam quandam a Doctore Bond de Philadelphia, in Lond. Med. Obſ. et Inq. vol. II. traditam.

‡ Vide White's Treatiſe on Struma, et Tiſſot Avis au Peuple, tom. II. p. 293.

2*do*, Dantur plurimae plantae quae, in hujuſmodi caſibus, pravos humores corrigendo, proficere dicuntur. Ex his autem primae ſunt, *ſolana* ; *tuſſilago* ; *pulſatilla nigricans* ; *cicuta*.

Animadvertendum eſt, ſolana, etſi interdum aliquid auxilii afferant, tamen multum ſaepe malum intendere, nec eorum uſum periculo omnino vacare. Recte igitur Gataker collegiſſe videtur, parum ex iis praeſidii adverſus hunc morbum eſſe petendum *.

Folia tuſſilaginis in pluribus hujus morbi exemplis aliquid adjuvaſſe putat cel. Cullenus; qui tradit ſe forti eorum decocto, ad modum quem jubet Fullerus † parato, ſaepe cum fructu uſum fuiſſe. Succus qui ex planta vireſcente, paulo poſt ab ejus radice, adveniente vere, ſtolones pullulaverint, exprimitur, maxime valere videtur.

Reliquas

* Vide Gataker on the Internal Uſe of the Solanum, p. 38. and Bromfield's Account of the Engliſh Nightſhades.

† Medicin. Gymnaſtic, 93.

Reliquas ſupra dictas plantas cel. Storck * in uſum induxit. Perpauca cum pulſatilla, permulta cum cicuta, experimenta inſtituta ſunt: Ex hiſce omnibus patet, cicutam in univerſum votis non reſpondiſſe. Refert quidem cel. Cullenus ſe hoc medicamento ad tumores glandularum diſcutiendos, interdum cum aliquo levamine, ſaepius vero incaſſum, uſum fuiſſe; nec ſe unquam vidiſſe cicatricem ulceribus, dato illo, facilius fuiſſe inductam. Tametſi vero ſcrophula affectos ad integram ſalutem hoc remedium vix unquam perduxerit; non ideo tamen idem prorſus inutile eſt judicandum †. Interdum enim haud parum in hoc morbo, ſaltem pro tempore, prodeſt. Solis autem hominibus, adulta aetate, hanc herbam Fothergill praecipere ſolebat; ut-

* Vide ejus Libellos de hiſce plantis.

† Praeclariſſimus Black, qui tantum ferme propter utiliſſimas in arte medendi exercenda obſervationes, quantum ob nunquam ſatis miranda in chemia reperta, de gente humana meretur: Is equidem egregius vir, mihi, de hac re percunctanti, cicutam caeteris omnibus medicamentis contra ſcrophulam praeſtare, ſe ex uſu comperiſſe retulit.

pote qui eam infantibus nervorum diſtentiones inferre ſibi perſuaderet *.

Ad ſecundum jam curationis conſilium in uſu remediorum generalium ventum eſt; quod nempe verſatur in

II. Roborando, vegetumque totum corpus reddendo.

Quandoquidem ſcrophulam partium univerſi corporis ſolidarum laxitas quaedam comitatur; atque quoniam praeterea, ſublata hac laxitate, tumores, exulcerationeſque vel multum minuuntur, vel prorſus deſinunt: Hinc itaque animadvertendum eſt, hoc ſecundum medendi conſilium in locum iſtius quod primum propoſitum eſt ſaepe ſubſtitui poſſe: Et revera placet nonnullis humores vitiatos nec elicere nec corrigere; ſed protinus morbi curationem aggredi per ea quae ſolidas corporis partes prae-

* Vide Fothergill "On the Uſe of Hemlock," Med. Obſ. and Inq. vol. III. et Rutty "Obſervations concerning the various ſucceſs of the Cicuta in Ireland," et denique in quarto ejuſdem operis tomo Farr, "Remarks on the Uſe of Cicuta."

praecipue afficiant: Qualia ſunt, *exercitatio*; *coeli mutatio*; *lavatio frigida*; *cortex Peruvianus.*

Veriſimile eſt, navi in altum mare vectari, ſtruma laborantibus multum profuturum *.

'Coelum mutare (inquit Meadius) ſaepe 'in ſalutem cedit; ita tamen ut regionem 'nec calidam nimis, nec frigidam, nec 'tempeſtatum variationibus inſalubrem, 'petat aeger †.'

Cum balneum frigidum tantum corpori vigoris afferre ſoleat, nil mirum, ſi id ſaepe in ſcrophula juvaret: Et illud quidem magis quam quodvis aliud remedium hoc morbo laborantibus prodeſſe cel. ait Cullenus. Lavatio marina maxime laudatur. Eſt autem ubi, propter numeroſas exulcerationes, frigida marina, extrinſecus adhibita, moleſtiae

* Vide Gilchriſt on the Uſe of Sea Voyages.

† Vide ejus Monita et Praecepta Medica; nec non diſertiſſimi Gregorii de Morbis coeli mutatione medendis diſſertationem.

moleſtiae ſit. In his, teſte Ruſſellio *, balneum tepidum utile eſt; efficitque ut poſtea, ſine ullo incommodo, in frigidum aeger deſcendat.

Non minore contra hunc morbum efficacia, ſi Fothergillo † fides habenda, pollet cortex Peruvianus; utpote qui glandulas obſtructas reſeret, ulcera minus ſanatu difficilia reddat, praeſentiſſimumque adverſus oculorum inflammationes, quae interdum in ſcrophula fiunt, remedium ſit. Se vero nullum ſtrumoſum hoc unico medicamento ad ſanitatem perductum unquam vidiſſe ait cel Cullenus. Nec quidem Fothergill ipſe negat quoſdam dari caſus, ubi nihil valeat: Contra tamen, hunc corticem alienum eſſe, ubi

* Vide "Epiſtolary Diſſertation to Dr Frewin," Oeconomy of Nature, &c. tranſlated.

† "On the uſe of the Cortex Peruvianus in Scrophulous Diſorders;" Med. Obſ. et Inq. vol. I. Vide quoque in eodem libro "An Account of ſome Virtues of the Peruvian Bark not generally known or deſcribed," &c. Auctore Joanne Fordyce, M. D; et denique vide in ſecundo ejuſdem operis tomo "A Letter from Dr Bond of Philadelphia to Dr Fothergill."

ubi caries oſſa occupat, tumoreſve ita ſiti ſunt (ſcil. in articulis et ſimilibus locis) ut magnos dolores moveant, idem medicus profitetur.

Haec quidem de remediis generalibus; nunc demum de iis, quae certis tantum corporis partibus adhibentur, dicendum eſt.

Hujuſmodi vero medicamentis utuntur medici vel

A. Ad tumores evellendos, diſcutiendos, vel in pus convertendos: Vel

B. Ad ulcera eluenda, ſananda: Vel denique

C. Ad exulcerationes vicarias in aliis corporis locis faciendas, factaſque apertas ſervandas.

A. Si tumores muſculis ſubjacentibus non immobiles inhaereant, nec ſuper majora quaedam vaſa ſanguifera ſiti ſint, ut iidem excidantur, nonnulli ſuadent. Quoniam vero qui primi apparuerint ſic ſublatis, juxta cicatrices ipſas alii iterum reſurgere ſolent, non poſſum quin cenſeam, perraro

raro oportere ad cultellum in hoc morbo confugere. Ubi autem articulos ſcrophula male habet, eos praecidere neceſſitas ſaepe curantem cogit.

Ad diſcutientia pertinent, *frictio*; *electricitas*; *ammoniacum vegetabile*; *ſaccharum ſaturni*; *quercus marinae liquor*; *unguentum mercuriale*; *veſicatoria*.

Protinus inter initia morbi glandularum intumeſcentium frictio lenis interdum iis reſolvendis eſt. Ubi vero malum inveteravit, perquam debili auxilio eſt.

Eodem pacto et electricitas prodeſt *.

Idem quoque praeſtare ammoniacum vegetabile †, et ſaccharum ſaturni dicuntur. Et

* Quam efficaciſſimae ſtrumoſa oculorum inflammatione affectis electricitas medelae ſit, neminem fere latet. Nec minus contra hoc ſymptoma *opium*, vel aqua vel ſpiritu vinoſo ſolutum, in oculos inſtillatum valere, innoteſcit. Vide Ware on Ophthalmies; and White's Treatiſe on Struma, p. 69. et 73.

† Hoc medicamentum, ſi fortius ſit, majoreque copia uſurpetur, glandularum tumefactarum molem augere poſſe, nos monet cel. Black; qui tamen credit, modo rite adhibeatur, id aliquid in his caſibus interdum prodeſſe.

Et hoc vero et illud ſine fructu ſaepe adhibuit cel. Cullenus.

Quoddam quaſi lixivium ex quercu marina, in muria digeſta, paratum, pro medicamento, eximia diſcutiendi facultate gaudente, commendat Ruſſellius *.

Convenit (auctore Heiſterio †) ſtrumas per dies ſingulos unguento mercuriali perfricare.

Ubi artus et praeſertim majores (e. g. genu et cubitus) morbus obſidet, veſicatorium, ſuper eos impoſitum, tumor in iis ut deſidat interdum efficit.

Antequam de diſcutientibus dicendi finem facio, animadvertere oportet, Whartonum ‡, ne medicamentis hoc genus nimis larga manu utamur, nos monuiſſe ; quippe qui ſibi perſuaderet, humorem in glandulas internas, externis reſolutis, confluere. Atqui non ſatis eſſe cauſae videtur cur hoc metueremus.

Quan-

* De Tabe Glandulari, p. 74.

† Inſtitut. Chirurg. par. II. ſect. 3. cap. 103.

‡ Adenograph. cap. 40.

Quanquam nonnullis cataplaſmata emollentia, eo ſcilicet conſilio, ut quod abſceſſit, id citius ſuppuret, tumoribus, quando hi reſolvi non poſſunt, applicare moris eſt: Judicat tamen cel. Cullenus ſatius eſſe ut quidquid maturuit ſibi committatur. Suadet quoque idem optimus medicus, ut pus per ſe aperiatur, nulla omnino arte adhibita.

B. Quando ulcera fiunt, quae exedendo adurendove cruſtas iis inducant, ea quidem ut pus bonum exeat, utque ulcera ipſa ſaneſcant, interdum faciunt. Ex medicamentis, hoc genus, maxime, teſte cel. Culleno, prodeſt *alumen uſtum.* Cuivis miti unguento miſtum, hoc tam utile atque quodvis aliud remedium, ſe comperiſſe refert: Et, licet mercurium per os ſumptum ſcrophuloſis prodeſſe neget idem egregius vir; tamen ait, ſe cognoviſſe hoc ipſum metallum, ſub forma *praecipitati rubri*, cum fructu ulceribus impoſitum fuiſſe: Laudat vero, pro remedio longe omnium ſimpliciſſimo, facillimo, et in pleriſque caſibus maxime

ime idoneo, pannos linteos aqua frigida madefactos, ulceribus adhibitos, ſubindeque exareſcentes mutatos; aliter enim exulcerationibus adhaereant. Aliquo autem unguento vel emplaſtro mitiore, priorum loco, noctu uti commodius eſt. Ad pannos ſupra dictos madefaciendos aquam communem optime convenire credit idem cel. auctor; quippe qui aquam marinam nimio eſſe irritamento, caeteras vero aquas minerales nulla peculiari contra ſcrophulam virtute gaudere, ex uſu didiſcerit.

C. Poſtremo, non minus quo ulcera jam orta ad cicatricem perducantur, ſed quo etiam quae ſanata fuerint, ea non renoventur; exulcerationes vicarias in diverſis corporis locis, per *fonticulos*, *ſetacea*, et *cauſtica medicamenta* excitare convenit.

Quomodo certis quibuſdam ſymptomatis (qualia ſunt *fiſtula lachrymalis*, *oſſa carioſa*, aliaque) ſuccurratur, auctores chirurgici, ad quos lectorem relego, docent.

FINIS.